

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Gula ag  
cum fonte primo

Hec pestilencia, id est gula, non uulgari humilitate contenta,  
profundius se porrigit in prelatos qui salmones,  
lucios, ceterosque pisces equipollenti generositate presignes,  
uariis decoctionum cruciatos martiriis,  
baptizandi adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant,  
ut ex tali baptismate baptizati multiformem saporis graciam consequantur.  
In eadem mensa terrestre animal piperis inundacione submergitur,  
piscis natat in pipere, auis eiusdem uiscositate ligatur.  
Dumque tot animalium genera ymo uentris ergastulantur in carcere,  
aquatile animal secum pedestre aeriumque genus in eodem sepulcro intumulari miratur,  
quibus si detur licencia exeundi, egressui uix porte sufficit amplitudo.

Alanus libro de conplanctu nature.

Hec pestilentia, non uulgari humilitate contenta,  
profundius se porrigit in prelatos, qui salmones,  
lucios ceterosque pisces, equipollenti generositate presignes,  
uariis decoctionum cruciatos martiriis,  
baptizandi adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant,  
ut ex tali baptismate baptizati multiformem saporis graciam consequantur.  
In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur,  
piscis natat in pipere, auis eiusdem uiscositate ligatur.  
Dumque tot animalium genera uno uentris ergastulantur in carcere,  
aquatile animal secum pedestre aeriumque genus in eodem sepulcro tumulari miratur,  
quibus si detur licentia exeundi, egressui uix porte sufficit amplitudo.

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 12 (N.M. Häring ed., p.854, ll.66-75).